



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs  
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus  
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione .... Editio  
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.  
Sacramenti ...

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

Amplissimo Viro, Ac R. Domino, D. Petro Bessæo, S. Theologiæ Doctori,  
Regi Christianissimo A Concionibvs, &c.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)



AMPLISSIMO VIRO,  
AC R. DOMINO,

D. P E T R O B E S S Æ O,  
S. THEOLOGICÆ DOCTORI,

REGI CHRISTIANISSIMO  
A CONCIONIBVS, &c.



Conceptus tui Theologici, doctrina non minus, quam spiritu diuino pleni, Vir Reuerende, quos in Sanctorum plurimorum, atque adeo Sancti Sanctorum Redemptoris Iesu, eiusque Matris sanctissime festiuitatibus, ore olim ad populum pronuntiatos, publici iuris patria esse lingua voluisti: illi illi, Latinam veste donati, ultro ad te redire gestiunt, & se tibi ut offeram, iure à me suo quodammodo videntur exposcere. Ad quem enim adeat potius, quam ad patrem sua proles, quam ad fontem aqua, quam ad opificem opus, quam ad nutricem alumnus, quam ad concipientem Conceptus, quam denique ad Theologum eruditissimum Theologica inuenta? Sane, ut libere quod sentio exponam, non exiguam nomini tuo amplissimo facturum iniuriam videbar, si absolutum hunc Concionum de Sanctis tomum ad te non destinarem, qui ipsum adornasti, concepisti, & multo labore, studio, lucubratione, industria ad eam, quam praefert, elegantiam prouexisti: quem, uti & alios, si quis omnigena doctrinae promptuarium, morum gymnasium, ac vita disciplinam, hereticorum malleum, Ecclesiae etiam armamentarium dixerit, non ille recte mihi sentire videbitur. Ut enim, quae suis oportune sciteque locis adducuntur, historias, gnomas ac similitudines è Gentiliis tum Graecorum, tum Latino-

EPISTOLA

minorum scriptis præmittam; sane sacris è voluminibus & antiquis Patribus (è quibus solida omnis scientia atque ars petenda est) tanta tamq. varia in ijs deprompta elucet doctrina, ut si quis difficillimorum locorum allegoricos, anagogicos, tropologicos, ac sepe etiam literales, quos Conciones prope singule includunt, sensus & allusiones colligere velit, cum præcis illis Scriptoribus & præstantibus sacra Scriptura interpretibus non immerito te conferre posse videatur. Morum porro vitæque recte instituende rationem quam scite, quam solide, quam aperte ostendunt!!  
nam.

Quid sit rectum, quid turpe, quid utile, quid non,  
Rectius ac melius Cratippo ac Crantore dicunt.

Omnis quippe conditionis & ordinis homines ad probitatem erudiunt, Præfules ac Sacerdotes pro rerum oportunitate instruunt, Principes, rerum gubernatores, & optimates ad vitam sancte & ex præscripto componendam adhortantur, patres familias ac matres, filios, solutos iuxta ac coniugatos sic commonefaciunt, ut salutis à via aberrare ille nequeat, qui tibi probe monenti auscultare voluerit. Heterodoxos autem, & Ecclesie nostræ dogmatum aduersarios quam vehementer petis, quam acuto telo configis, quam acriter exagitas, qua verborum acrimonia, argumentorum pondere, qua doctrina soliditate premis? ut quibus veritatem propugnans demonstrationibus, quod obiciant, non habeant. BESSÆVM ergo cum habet Lutetia, atq. adeo Ecclesia omnis Gallicana, habet propugnatores acerrimos, habet hyperassisten infractum, habet athletam inuictissimum, habet qui acceptam a maioribus doctrinam, sinceram Patrum mentem, singula fidei capita, Conciliorum auctoritatem, ipsam denique veritatem intrepide aduersus insultantium calumnias, & allatrantium catellorum latratibus tueatur, Proterum ergo, id est, varium, veritatis nempe doctorem, morum magistrum, hereticomastigem, & Ecclesie Herculem videbit, qui scripta tua & conciones imprimis inspexerit: ut taceam eloquentia patriæ, quo singula, quanta, quanta sunt, non dico irrigata, sed perfusa sunt, liquorem, mel, & lac: quas & nunc integre damus ab eadem manu, qua reliqui Conceptus tui, sermone Latino traductas. Hasce iterato iam prælo accipe, Vir Amplissime, in mei erga R. D. affectus & amoris testimonium, quem & literis nuper humanissime scriptis erga me quoq. ostēdisti copiosissime, versionem nostram approbasti,

DEDICATORIA.

*hasti, imo & spem noui operis propediem dedisti, ad quod translator vir probus & doctus non parum anhelat. Interim hocce mea erga R.D.T. voluntatis nemo synon habe, & absentem absens, Germanum Gallus, Concionator Typographum, pro ea, qua neminem non complecti diceris, benevolentia complectere, & me addictissimorum nomini tuo clientum numero annumerare perge. Vale. Colonia Agrippina, Kalend. Martii, Anno darte salutis M. DC. XX.*

Reu. Dom. Tuæ

per studiosus cliens:

IOANNES KINCHIVS

Bibliopola Colonienfis.



\* 3

Admo-